Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 471
Quelle:
Copyright:

familiaris &c. Vide *Vol.* I. P. I. *col.* 816. Singulis Opuſculis Librarius praeter pias preculas ſubſcripſit:

Penna gradum ſiſte, quoniam liber explicit iſte.

CCLXVII.

R. 3078 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 184. f. per duas columnas nitidiſſime ſcriptus, rubricis diſtinctus, olimque *beate Marie virginis in Pawmgartenperig, Ordinis Ciſterc.* in ſuper. *Auſtria* inſcribitur: *Omelie Johannis Criſoſtomi Super Matheum.* Praeit Capitulare *Homiliarum* XL. Dein *Incipit Prologus Beati Johannis Epiſcopi In Opus Sequens.* Nempe: *Sicut referunt. matheum conſcribere ewangelium cauſa compulit talis.* &c. Opus Autoris incerti jam ſaepius *Vol.* I. a me relatum in hoc Exemplo ſiſtit inverbis: *Si quis autem miniſterium hoc per illum* (illos) *putat impletum, qui in actibus apoſtolorum leguntur.* Atque in iisdem ſiſtit, obſervante *Montefalconio* edit. *Maur. Opp. Chryſoſtomi* T. VI. *Pariſ.* 1724. f. p. CXCVI. etiam Codex Carthuſianorum *Vallis Dei*, aliis Exemplis ad C. 25. *Matthaei* et *Homiliam* LIV. progredientibus. Textum noſtrum ſatis probum conferendo deprehendi.

CCLXVIII.

U. 167 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 76. f. per duas columnas ſat bene ſcriptus, rubricisque illuſtratus, multis tamen locis emendatus et ſubpletus teſtamento *M. Conradi de Hildesheim* Theol. Baccal. et in Decretis Licentiati, de quo nihil compertum habeo, obvenit *Librariae Collegii Theol. et Artiſt. Wienne*, ut Theca anterior praefert. Continet vero duplici titulo: *Omeliarium Criſoſtomi Alias de opere imperfecto*, ſeu *Commentum Criſoſtomi epiſcopi ſuper ewangelium Mathei*, cujus initium: *Sicut referunt matheum conſcribere ewangelium cauſa compulit talis* &c. De *Homiliis* his *Johanni Chryſ.* ſubpoſitis non ſemel egi ſuperiore *Vol.* Extant in edit. *Opp. Mauriana Pariſ.* T. VI. *pag.* XI. numeroque ſunt LIV. At nobis hic aliter diviſae abrumpuntur *Homilia* XL. in expoſitione *Cap.* XXIII. v. 37. his verbis: *qui lapides quosdam iactant ſuper apoſtolos et prophetas*, quae in Editis occurrunt *Homil.* XLVI. *pag.* CXCVI. Aliquot igitur Codicis cetera probi folia excidere.

CCLXIX.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. R. 499 Folior. 115. f. per duas columnas nitide ſcriptus, et poſteriore parte miniatus multa complectitur D. *Joh. Chryſoſtomi* in antiquis Verſionibus latinis, et in primis *Sermones* LXXI. praevio Elencho, quorum I. *De Geneſi et Dignitate humane conditionis*, qui incipit: *Dignitas humane conditionis facile*